

222

de habitaculo. Et quia cameram vacuam demiseramus, exspissasse dixit terminum illius emptionis, non obstante quod reversi essemus. Multas contentiones habuimus cum illo Sarraceno, quia furiosissimus erat, et in litigio saepe contra nos sputum projiciebat. Mansimus ergo in habitaculo sine mattis, quia sibi denarium nullum volebamus dare, ne suae avaritiae refrigerium paeberemus. Demisisset prefecto nobis eas pro paucis denariis, sed repulimus eum a nobis. Cumque jam nox esset, manserunt aliqui in habitaculo dormientes super nudam humum. Ego vero cum quibusdam aliis, ascendi supra testudinem domus, ubi dormiebat Calinus magnus et quidam Sarraceni alii, et ibi etiam supra pavimentum nos ad quietem locavimus sub dio dormientes. Sunt enim domus in orientalibus partibus ita aedificatae, quod supra eas fit deambulatio, et temporibus, quo sol absens est, ascendunt homines pro refrigerio et ibi laborant, manducant, et sibi sternunt et dormiunt. Sole autem splendente sub testudinibus in umbra manent. Omnes enim domus sunt testudinatae et totae lapideae, quia ibi valde pauca ligna habentur. Sic ergo supra domum mansimus, sed certe quietem, quam quaesivimus, non hahuimus, propter clamores Sarraceorum Soquorum, qui in Muschkea prope nos clamabant, et more suo cantabant, quasi usque ad medium noctis. Similiter supra turres stabant, et ullulabant cum ardentibus lampadibus. Sunt enim turres eorum altae et rotundae, in quibus stant Sarracenorum sacerdotes, gerentes officium campanarum et professionem fidei eorum pronunciant. De quibus plenius infra dicam fol. 94 in part. II. de officio eorum et ritu. Erat enim illa nox eis sollemnitas, ideo plus solito clambabant, nosque inquietabant, et ita nox illa praeterit.

Undecima die, quae est Procopii confessoris, ante lucem surrexi et officium meum dixi, in eminentiori testudine quam dormieram, sedens supra convexum cujusdam altioris camerae, de quo poteram omnes per circuitum jacentes videre. Cumque jam dies illucesceret, surrexerunt Sarraceni, et stratis compositis ac vestimentis applicatis, mox (**B**) ponebant genua ad orationem et junctis manibus sursumque elevatis cum quodam devotionis rugitu et magno serio adoraverunt: aliquotiens capita cum dorso inclinantes usque ad terram, et diutius

